

BIBLIOTECA  
ORTO BOTANICO  
PADOVA  
BOB 685 (20b)

HORTVS  
MEDICVS ET PHI-  
LOSOPHICVS: IN QVO

PLVRIMARVM STIRPIVM BRE-  
VES DESCRIPTI ONES, NOVÆ ICONES  
non auæ, indicationes locorum natalium, obseruationes de cul-  
tura earum peculiares, atque insuper nonnulla remedia  
euporista, nec non philologica quædam  
continentur.

AUTORE IOACHIMO CAMERARIO  
Reipub. Norigmberg. Medico D.

ITEM

SYLVA HERCYNIA:

IVI CATALOGVS PLANTARVM SPONTE  
nascentium in montibus & locis plerisque Hercyniæ Sylva que  
respicit Saxoniam, conscriptus singulari studio à Ioanne  
Thalio Medico Northusano.

Omnia nunc primum in lucem edita.

Francofurti  
M. D.

ad Manum.  
LXXXVIII.



Cum Gratia & Privilio Cas. Maiest.

*Porrum accedit, nec tam acre etiam & graue olens est quam Allium.*

*Saxatile, Bulbus Vomitorius, Moly foliis Narcisci.*

*Vrsinum, Arctoscorodon, sylvestre, flore albo.*

*Alpinum. Victoriae mas & foemina. Mari folia multo sunt latiora, foeminae vero angustiora.*

*Alnus nigra, Frangula. Faulbaum. Vbiique in sylvis crescit. Sicut Plinij secundum nonnullos. Dum pusilla est in pingui solo collocata, folia fert oblonga & magna, similia Guaiacanæ dictæ, tam figura quam magnitudine. Cortice eius interior luteo in multis locis Saxoniæ hoc tempore vtuntur loco Rhabbarbi, quod iam propter immensum pretium non cuius præscribi potest.*

*Aloe communis, affertur copiose ex Hispania. Appensa laquearibus non modo in multos annos durat, sed in quibusdam locis calidioribus quoque florem profert. Vidi anno 1561. Pisis apud quendam nobilem in fictili florentem, flore luteo, mense Martio. Apud nos nisi ante frigora brumalia extinxatur è terra & in loco tepidiori suspendatur, ac primo vere rursum fictili imponatur, facile putreficit. Quiqueranus de laudibus Provinciæ scribit libr. II. capit. 59. In Stoëchadib. Insulis luxuriose crescere ac vulgovocari Semperiuum marinum, ac tritum imponere incolas quibusuis ulceribus & vulneribus. Brassauolas in libr. de purg. tradit nonnullos ex minima pillula, quæ nō erat quarta pars semiscrupuli, decies excreuisse. Plautus ait proverbialiter: Vitam hominis plus Aloeis quā mellis habere, id est, plus molestiæ quam voluptatis illi inesse.*

*Aloe spinosa sine America, à Clusio descripta & depicta in obs. Hispanicis lib. 2. cap. 67. sine tamen floribus, quorum picturam in fine libri exhibemus. Creuit hæc planta (vt mihi per literas retulit diligentiss. rerum simplicium in dagator Iosephus*

*phus de Casabona, Magni Ducis Hetruriæ (vt vocant) Simplicista, qui vt plura alia, iconem florum quoque liberaliter mecum communicauit) Anno Christi 1586. in horto instrutiss. eiusdem Ducis, miræ altitudinis caulem proferens, instar abietis, pene contortum, in cacumine ramosum; in extrema ramorum parte congeries fuit referta floribus è luteo viventibus, instar Hemerocallidis Valétinæ, suauiter odoratis ut quidam retulit. Ipsa planta excessit altitudinem 12. cubitorum.*

*Hæc cum sit priore durior, facile in fictili afferuatur in loco tepidiori per hyemem. Copiosam tamē irrigationem recusat. Propagines multas spargit, quæ nisi tempestive aferantur, priusquam adolescent, matri omne alimento detrahunt, illamq; perimunt.*

*Succus ex ea colligitur, facultate cum priore non dissimili.*

*Hanc plantam primus habuit, ni fallor, in Italia Iacobus Antonius Corrusus nobilis Patauinus, de re Herbaria opt. meritus, apud quem vidi inter alia selectissima, Anno 1561.*

*Alopecurus, à Dodonæo & Pena pingitur ac describitur, Planta frumentacea.*

*Alfine maior, media, minima, quarum duæ posteriores à Fuchsi & alijs, prior à Dodonæo exhibentur. Sponte nascentur in hortorum arcis. Sed prior admodum raro nisi transferatur è dumetis, in quibus nasci gaudet.*

*Alfine hirsuta, media similis, sed nigrior, hirsutior ac durior, spontanea.*

*Alfine tenuifolia media seu vulgaris similis, sed strigosior, non tamen hirsuta aut pinguis vel tam late serpens. Nascitur ad Sepes: arenoso solo delectatur & solum excultum, non, vt reliquæ desiderat.*

*Alfine flore purpurascete, Fuchsij III. ite cæruleo, Fuchsij H. Inter-*